

951.

1287 d. 28 Nov.

Cecilia Elofs dotters Testamente, hvarigenom Uddanäs tillföll Nydala kloster, penningar och många dyrbara lösören tilldelades kloster, kyrkor och serskildte personer, samt frihet skänktes åt alla hennes och hennes mans trälar och trälinnor i Sverige.

A. 4. 14.

In nomine patris filij & spiritus sancti amen. Ego CECILIA ELAUI quondam filia laborans in extremis sarcinam delictorum meorum vehementer agnoscens, uolensque mihi meeque anime quoaduixero salubriter prouidere in meorum remissionem peccaminum cum consensu & uoluntate predilecti coniugis mei Domini Magni dictj Karlsun, condo testamentum meum in hunc modum. In primis ob honorem & reuerenciam dei genitricis & uirginis marie, & utilitatem fratrum in monasterio noueuallis, domino deo seruiencium apud quos locum eligo sepulture vnam marcham terre in Wddanes cum omnibus suis attinenciis siluis pratis piscacionibus perpetuo confero possidendam cum tercia parte memorati fundi sine domibus & insuper capellam meam cum calice uidelicet & omnibus altaris & sacerdotalibus ornamentis, volens ut in oratorio memorati monasterij altare de bonis meis propriis in mei memoria construatur. Item singulis monasteriis cuiuscumque ordinis in regno suechie constitutis unam marcham denariorum committens kietiluasto in nycopia curiam meam in biershamar ut de prouentibus dicte curie persoluat debitum memoratum. Item cuilibet ecclesie in quibus mansiones possideo siue mee possessionis sit siue dilecti coniugis mei unam marcham den. confero dimidiam ecclesie & dimidiam sacerdoti. Ad structuram ecclesie We-xionensis duas marchas. Ecclesie de hiartlandum vnam rubeam casulam de bast hardo. Ecclesie de bringatoptom vnum sparlakan. Ecclesie de hiorz-byrghom vnum lapidem altaris & unam marcham den. dimidiam ecclesie & dim. sacerdoti. Domine Jngiborgh. unam capam de scarleto forratam cum gientiis. Domine katerine sellam meam & frenum cum cussino de baldekino. Styrgero longo octo ulnas de panno genz. vnum anulum uxori sue. kietillo brodson vnum balteum argenteum & uxori sue unum anullum. Capellano meo domino A. unum ambulatorem. Helgu pedisseque mee. vnam sellam & frenum cum capa mea genz. vnum mantellum de scarleto cum pellibus uariis & aliis sibi necessariis & conuenientibus indumentis. Nutrici mee Jngridi vnum mantellum de scarleto cum pellibus. lectum meum cum suis omnibus preparamentis. unam sellam & frenum cum capa de moreto farratam albo panno. Jngiborgh. de Wrixstad vnum sabel. Cubiculario meo magno gløþ vnum equum. Giniuto de hiartanes unum equum & unum mantellum cum pellibus uxori sue. Coco meo kiempæ unum equum. Magno Bosæson. dimidiam marcham annone quam recipiat in Forsum exceptis hiis

que suis contuli filiabus. Villice de hiartlandum vnam tunicam de scarleto. Villice de vithløsoyargh similiter. Villice de tolgh. unam tunicam blaukinst. Villice de ekessio VII. vlnas. Villice de byrsioholth similiter de blauio panno. Vxori laurencii ormson vnum nouum rýklin. Vxori iohannis þorossun unum] pilleum clipeis argenteis decoratum. Cuidam paupercule mulieri cristine nomine de hiartlandum vnum lectum. Ceterumsi in mea possessione siue domini mei ubicumque in regno suechie seruilis condicionis cuiuscumque sexus aliquis inuentus fuerit, cum assensu predictj mariti mei perpetuo confero libertati. Ego uero Magnus karlson maritus predictæ domine Cecilie presens testamentum ipsius in omnibus & per omnia approbo & confirmo, appendens presenti membrane sigillum meum in euidentiam & confirmationem pleniorum, Actum anno domini M^oCC^oLXXX^oVII^o III^o kal. Decembris

Sigillet bortfallet.

952.

1287. d. 6 Dec.

Clairvaux.

Påfl. Legaten, Biskop Johannis Bifall till Predikarebrödernas begäran att af ocker, rof och annat orättfånget gods, hvartill ingen ägare var bekant, erhålla för hvarje kloster 25 mark.

A. 2. d. 5. *)

JOHANNES miseracione diuina Tusculanus Episcopus, apostolice sedis legatus, Religiosis viris. . Prioribus prouincialibus, ceterisque prioribus, & conuentibus ordinis predicatorum, prouinciarum Dacie & Polonie, infra nostre legacionis terminos constitutis salutem in domino, Vestre meritis religionis inducimur, vt vos prosequamur gracia, que diuino accomoda cultui, & necessitatibus vestris esse dinoscitur opportuna, Hinc est quod nos vestris precibus annuentes, vt de vsuris, rapinis, & alias male acquisitis, dummodo hij, quibus ipsorum restitucio fieri debeat omnino inueniri non possint, nec de eisdem per sedem apostolicam aliud fuerit ordinatum, pro quolibet conuentu uestrarum prouinciarum, viginti quinque marchas argenti, ad opus fabrice ecclesie, & ornamenta eius, & officinarum uestrarum recipere valeatis, vobis auctoritate qua fungimur, concedimus facultatem, jta tamen quod si aliquid de ipsis dimiseritis, restitueritis, aut dederitis, illis, a quibus eas receperitis huiusmodi remissum, vel restitutum, seu datum, nil ad liberationem ipsorum prosit, neque quantum ad illud habeantur aliquatenus absoluti, Vobis eciam supradictis . . Prioribus, & quatuor fratribus de quolibet conuentu uestrarum prouinciarum, quos ad hoc ydoneos esse iudicaueritis, dispensandi in
votis

*) Efter en af Ärke-Biskop Nils i Upsala 1300 d. 3 Maj bestyrkt afskrift.